

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02/ 734 55 42

## DE RATIONIBUS NOSTRIS DISPUNGENDIS

Vix mihi fingere possum, annum nostri saeculi octogesimum octavum iam paene completum esse; tam celeriter fugit tempus, ut mihi videar vix quicquam effecisse. Quam ob rem acta recogitare non inutile est ad animam confirmandam mentemque excitandam ad nova suscipienda.

Hoc anno Fundatio Melissa domus editoria facta est. Primus liber quem in lucem edidit, c.t. "Portus Itius", per exceptionem Francogallice scriptus est. Merito tamen primus fuit; iam enim anno 1982° Prof Alberto Grisart promisi me eius librum editurum esse, cum hoc noluissent aliae domus editoriae. Valde doleo quod, me invito, variis de causis, praesertim nimia auctoris scrupulositate, fere eodem die liber in lucem prodiit et auctor vita functus est. Primi fructus Melissae operis lexicographicci hoc anno ad maturitatem pervenerunt. Liber enim c.t. "Lexicon Minus Latinitatis Modernae" sexies editus est, id est singula editio cum Latinorum vocabulorum translatione in alium sermonem vernaculum et vice versa. Sic in lucem prodierunt: Modernes Lateinisches Kleinhandwörterbuch, Petit lexique du Latin Moderne, Piccolo Lessico della Lingua Latina Moderna, A Small Lexicon of Modern Latin, Handwoordenboek Modern Latijn, Pequeño Diccionario de Latin Moderno. Quam occasionem capio ad gratias quam maximas agendas sodalibus Latinis diversarum nationum, qui libenter et scienter et gratuito operam dederunt ad optimas translationes vernaculae eligendas; quo in opere difficillimo manifeste apparuit quanta vis inesset in cooperatione Eurolatina. Quod lexicon certe aliquid novi et utile afferet eis, qui Latinitatem vivam participare cupiant sive legendu sive scribendo. Non ignoramus tamen hoc opusculum valde imperfectum esse. Iam quandam singularitatem trahit ex originibus suis. Nonnulli enim lectores mirati sunt quod commiscimus vocabula antiqua cum vocabulis novatis. Oportet sciant propositum initiale fuisse librum, c.t. "Praktisch Zestalig Woordenboek" (Spectrum, Utrecht/Antwerpen 1982), ubi circiter 6 milia vocabulorum in sex vernaculis linguis Europaeis exhibentur, translatione Latina augere; sed in huius generis lexico multa inveniuntur vocabula usualia, quae iam antiquitus adhibebantur. (sequitur p. 3)



Novissima sessio Meldis habita: Andreas Pierucci nos delectat modis musicalis, quos clavichordio a se ipso instructo canit.



Care lector, tempus adest subnotationis tuae renovandae.  
Subnotationis pretium in annum 1989<sup>um</sup> immutatum est: 400 FB.  
Vide quaeso paginam subiunctam.





## De Latinitate recentiore quid senserit Petrus Angelinius

Cum mecum ipse libros recolo, quos proximis hisce mensibus Latine evolvi, vix video quem maiore cum voluptate ad extremum revolverim quam dialogum eum quem, Lollii titulo indito, de proiecta Latinitate conscripsert annos abhinc nonaginta professor Romanus nomine Petrus Angelinius. Quem mihi perlegenti praesto erant pugillares, ut notarem verba, tuncras verborum et conformatioes dignas quae memoria custodirentur. Nec vero sermonis tantum nitore capiebar, sed et argumentis haud inanibus sententiisque minime ieiunis permoverebar. Quo enim tempore Angelinius opusculum illud litteris tradidit, contrarias distrahebantur in partes philologi, aliis pro novis Germanorum placitis propugnantibus, aliis (et Italos in primis) traditas docendi rationes retinenteribus; ille igitur viam inivit admodum lubricam, qua firmo tamen gressu procedebat.

Huiusce autem operis summam anteaquam expidrem, vellem Angelini de vita operibusque praeferi possem! Illum vero plerumque silent instrumenta biobibliographica, ut, quae referam, habeam per pauca. Atque anno circiter 1840 lucem mihi videtur hausisse Angelinius, qui dein, postquam sacerdotii honore et munere est impertitus, in Lyceo pontifici seminarii Romani Latinas litteras diu tradidit; idem Pio X P.M. ab epistulis ad principes erat; naturae vero cessit a.d. X Kal. Mai. anno 1911. Lucubrationum eius Latinarum, numeris sive solutarum sive adstrictrarum, pars maior in commentariis est edita, q.t. Vox Urbis; qua in ephemeride pientissima eius legi carmina, ut "In puerum Iesum" (2, 1899, 3), "De die nominali Leonis XIII" (3, 1900, 129), "Leo PP XIII ad sepulcrum B. Petri - elegia" (14, 1911, 72); huc accedit "Rusticatio autumnalis" (2, 1899, 155). Ipse versuum Latinorum censor (cfr 6, 1903, 28), cum duplex litterarum certamen a commentariis, quos dixi, esset indictum, iudicium numero est ascriptus (cfr 3, 1900, 185). Praeterea, ne cives meos silentio praetermittam, anno 1890 mense Ianuario Leopoldi II, Belgarum regis, laudationem (modis solutam) habuit in aede Xystina (cfr 13, 1910, 17-20). Libros denique quantum scio duos foras edidit, Lollium, de quo plura sum scripturus, et De cultu Musarum orationem (leviore aestimandam momento) cui accedit carmen de humanis corporibus extremo die resurrecturis (Romae, 1885; carmen in commentariis q.t. Vox Urbis anno 1902 iterum est excusum).

Dialogus autem Lollius inscriptus, posteaquam annis 1899, 1900, 1901 in eisdem commentariis prodidit, anno 1901 Romae denuo est editus; locos ex

eodem selectos commentariis q.t. Rosa Melitensis posteaua inseruit Alafridus Bartolius. Quod in opusculo (centum circiter paginis comprehensum) scriptor complures induxit disputantes, primas agentibus Trebatio, iure consulto eodemque "laudatore temporis acti", ac Lollo iuvene instituendi generi a Germanis novato haud inimico ipsumque Angelinium, ni fallor, plerumque exprimente. Nam liber mihi videtur exaratus esse quo errores quidam et praejudicatae opinione excluderentur atque expellerentur; sentiebat siquidem Angelinius cum paucioribus gentis suae viris a sapientia doctrinaque litteras seiungi impune non posse; aetate sua inveniri philologos qui Latinae linguae usu doctrinaque Thomam Vallaurium, principem inter Italos philologum, si non superarent, at certe adaequarent; tritas inveteratasque sermonis addiscendi vias non omni ex parte esse comprobandas. Tripartitus hinc explicatur dialogus, cuius ego partes alteram et tertiam paulo impensius sum adumbraturus.

Sub Saturnalibus evenit forte ut Angelino praeceptoris proiectore aetate, intermissis scholis in secessu Reatino delitescenti, alumni conlegaeque quidam venerint obviam; ipsis laute cenatis utilissimum Latinitatis sermonem conserere placet; cui posterus quidem dies videtur aptissimus. Proximo igitur mane, cum in pratulo considerent, Philippus medicus medias in res statim erumpit "Dicam"que, ait, "plane quod sentio, me ab istis litterariis deliciis vel potius ineptis quam longissime abesse, quippe genus hoc omne mihi videatur esse pompa aptius quam pugnae. Postulant autem nova tempora ut iam non in ludum aut gymnasium, sed in aciem dimicationemque veniamus. ... Quid enim habet quod tanto usui esse videatur doctrinam sequi verborum, difficiles efferre nugas, mollioribus auribus inservire, et aucupio delectationis intentos paucorum iudicium reprehensionemque extimescere? Quid est, neglectis rebus, verba pendere, nisi in summa inanitate versari?" Cui Trebatius, veteris notae iuris consultus: "Exsulare litteras omnes facilius feram, quam Latini sermonis minui vigorem ac dignitatem; quo neglecto, hac miserrima aetate factum est ut graviores disciplinae penitus iaceant. Ubi enim philosophia? Ubi dialectica? Ubi Latine disputandi consultissima via? Habes homines leviter eruditos, avulso doctrinae omnis fundamento, quod in Latini sermonis pertinax maxime positum iudico." Quorum utrumque distractum Lollius in concordiam ut reducat, Tullium sequetus, allegato etiam Ioanne Stuarto Millio philosophos sequitur p. 3

sequitur p. 1

Ad futura opera lexicographica paranda, fundatio nostra alia methodo utetur. Tantum exhibebuntur vocabula Latina sive novata sive antiqua, sed eorum tantum ea quibus sensus novatus tribuitur. Singula vocabula explicabuntur notulis de origine et de significatione, verbis Latinis conscriptis; quorum vocabulorum translatio in nonnullas linguis vernaculae praebetur indicibus separatis. Speravimus hoc opus praeparari posse in secunda coniunctione cum eis ex "Academiae Latinitati fovendae" sodalibus, quibus mandatum erat verba novanda curare, cum post hornotinam Academiae sessionem mense Aprili habitam putavissemus hanc commissionem tandem aliquam operam daturam esse in officio suo. Brevi tamen comperimus Academiae somnum diutius productum iri.

Satis vero non est operam dare ad linguam Latinam hodiernae communicationis necessitatibus aptandam; maxime necessarium est efficere ut aequales nostri non tantum sciant linguam Latinam etiam nostris temporibus adhiberi posse sed etiam intelligent quantum huius linguae usus Europaeis confederandis prodesse possit. Quare "libellum de sermone Latino colendo" una cum Societatis Latinae sodalibus conscripsimus, quo breviter contrahuntur causae cur sermo Latinus paulatim neglectus iterum praesertim Europaeis colendus atque adhibendus sit. Quem libellum quam latissime circummittere coepimus. Gaudemus quod iam multi, inter quos academicci professores, libellum subscriptione com-

probatum ad nos remiserunt. Sed, ut scripsit Cicero, "omnis opera ac quaestus frequentia sustinetur". Quam ob rem oportet multo frequentiores fiant subscriptores, id quod fieri non poterit sine nostra omnium opera, loquendo coram et palam, suadendo patienter et tenaciter.

Hic vicesimus septimus Melissae numerus ultimus est hornotinae subnotationis. Nobis semper curae erit Melissam magis attractivam facere. Gratias quam maximas ago eis seu propinquis seu longinquis, quorum insigni cooperatione Melissa vere internationalis facta est, ac quorum ingenio argumenta varia, seria vel locosa paeberi possunt. Lectorum animadversiones nobis semper gratae utilesque erunt.

In proximum annum libentes nuntiare possumus seminarium Latinum iterum habitum iri Vestenda, moderante D<sup>r</sup> P. Caeleste Eichenseer, a die 11<sup>o</sup> in diem 18<sup>um</sup> m. Augusti. Novum propositum etiam excogitavimus, id est iter Latinum in Italiam septentrionalem, cuius programma in subiuncto folio explicatur. Qua occasione data, miras regiones urbesque lustrare poterimus, sodales Italos convenire, iucunde Latine sermocinari, quin etiam multa addiscere Latine explicata. Opusculum praeparamus c.t. Viator Latinus ad usum peregrinantium, quod proxima aestate in lucem edere speramus...

Non desunt agenda et proposita quare Melissae lectoribus cunctisque sodalibus Latinis exopto annum novum felicem atque in rebus Latinis uberrimum.

Gaius LICOPPE

sequitur p. 2

pho (1806-1873), eloquentiam contendit non posse secerni a prudentia: "Neque enim forma dicendi est aliquid a priori, ut aiunt, aut per se, aut se unctum a rebus, tamquam ornamentum aut vestis aut aliud adiectum quidpiam, sed ab ipsa re dignitur ex eaque efflorescit. ...Rei itaque, quaevis illa sit, sapienter cogitatae vel alte perceptae egregia forma non accedit, sed haeret tamquam animae sanguis, lacerti caro. Atque haec naturalis et intima coniunctio litteratos efficit viros eosdemque sapientes." Ostendit inde litteras cum sapientia scientia doctrina coniungi: "Est proprium doctrinae ab aliis tradita persequi ac retinere; scientiae est investigare rerum seriem atque naturam; sapientiae demum naturam ipsam intueri atque sentire. ...Iam quis negaverit triplici, quam diximus, facultate contineri litteras?"; denique adfirms non omnes tribus eis facultatibus simul studere, sed hos primae, illos alteri, eos tertiae; philosophia vero christiana omnes, quotquot sunt, haud mediocriter esse imbuendos.

Postridie eius diei convivae domi Muci toparchae colloquium proximo die institutum aliquot horas protrahunt. Orditur Trebatius qui ut veteres instituendi mores laudat, ita novas docendi rationes a Germanis illatas aperte increpitat: "Commigravit hic nuper et iuveniles animos pestifero veluti quodam sidere afflavit hominum manus, qui transmarinis et importatis artibus eruditum gloriantur se novo quodam artificio et via posse docere. ...Inserunt novas opiniones, evellunt insitas. ...Initium autem turbandi omnia fere a Germanis ortum, qui, dum in voculis

vocumque iuncturis immoriuntur, nihil ex tanta doctrina transferunt ad usum Latine scribendi. Ex quibus haec summa cogitur, ut auctoritati et prudentiae se imponat iuvenum protervia atque stultitia, quorum eruditio omnis quanta est, solis rerum nonnibus librorumque titulis continetur. ...Caveam ergo a lectore unius libri." Addit idem e Tulli scriptis omnia sumi posse necessarioque subiungit verba haec: "Aliud est multa legere, aliud exemplaria quaedam ad imitandum sibi proponere." Id ut ut est, dolet vehementer quod prae novata ea docendi ratione nullus fere optimae Latinitatis scriptor in medium procedit qui cum Francisco Philepho, Marco Antonio Flaminio, Petro Bembo, Iacobo Sadoletto, Pontano Fracastorio Palingenio Scaligerio Riccio Politiano Sigonio Paleario Morcellio Vallaurio Massio longissimoque scriptorum recentiorum et recentissimorum agmine sit comparandus. Ad quae Piso Minor audacter respondet lumina illa ingenii re vera extra vitam vixisse nec vetere eloquio novae aetatis res et sensa exprimere potuisse: "Lucent, inquam, fulgore non suo. Cum enim demortua lingua non possent nec se nec aetatem suam expresse referre, ascidere dicendi genus auribus quidem aptum, a veritate tamen quam longissime distans. ...Quid vero tam fatuum tamque ridiculum quam cordis a lingua discidium? ...His contentus artificium penit habes, non artem; morigeraris auribus, non animo; plaudis Verri fana explanti et asportanti simulacrum Cereris Hennensis."

Sequetur in proximo Melissae numero.

Theodericus SACRE



# INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES VALAHFRIDUS STROH

*Ubi et quando natus es?*

Peperit me mater A.D. 1939 die 26° m. Decembris, i.e. die Sancti Stephani. Pater autem tum fuit sacerdos evangelicus Stutgardensis.

*Quibus in scholis studuisti? Quomodo linguam Latinam discere coepisti? Quid tunc de hac lingua sentiebas?*

Gymnasium Goppingense me erudivit, ubi tamen nec Graecas litteras discendi copia erat nec plurimum Latine docebatur. Sed quid queror? Tunc ne mihi quidem Latinae litterae valde arriserunt, excepto fortasse uno Catullo, quem horis furtivis legere coeperam. Cuius etiam verba et numeros Germanice exprimere conatus sum approbante magistro, qui sic laudavit: "Sunt certe etiam peius translata quam ista." Is ceterum mirus homo erat. Nam et astrologiam summo studio didicerat (de qua etiam scribere solebat) nec quemquam praeter Goetheum et se colorum doctrinam callere clamabat. Ad ipsa tamen Latina studia casus quidam me appulit. Nam cum post studia gymnasiaca Stutgardiae Graece et Hebreice discere coepissem, nempe ut theologiae aliquando operam darem, tum ipsas linguas etiam magis admirare coepi, cursum mutavi vel novavi, studiis classicis quae dicuntur animum adhibui. Sed tum Graecae litterae potiores mihi visae sunt: philosophiae enim Platonicae studere maxime volui.

*Qua in studiorum universitate studia perfecisti? Qui inter tuos professores sunt magis memorabiles?*

In universitate Tubingensi docuerunt me plurimum Wolfgangus Schadewaldt, tum vir celeberrimus, et Ernestus Zinn, quem unice diligo. Vindobonae Albinum Lesky, Monachii Fridericum Klingner et Curtium a Fritz audivi, qui morum candore doctrinaeque splendore me tenuit.

*Docuitne te Prof. Raimundus Pfister?*

Raimundum primum vidi cum A.D. 1975 Monachii orationem haberem. Tum is mihi aspere adversatus tristioris ingenii homo visus est. Postea tamen eum cognovi virum laetissimae indolis, summae eruditonis, cuius amicitiam nunc plurimi facio.

*Quid post studia universitaria peracta egisti?*

A.D. 1964 Michael ab Albrecht professor me secum duxit Heidelbergam, ut famuli sui munus exsequerer. Qui etiam dissertationis meae de elegis Romanorum amatoriis scriptae patronus fuit (1). "Veniam legendi", quam dicunt, merui A.D. 1972 libro, quem de orationibus Ciceronis confeceram (2): tum igitur paelectiones habere coepi. Quatuor annis

post (A.D. 1976) me adulescentulum in cathedram altissimam (ut tum visa est) universitatis Monacensis vocaverunt, quorum meritorum causa, nescio. Ibi nunc quoque docere soleo - quamquam ipsum domicilium cum familia Monachio Frisingam in urbem amoeniorem, vetustiorem, devotiorem religioni transiimus. Quae etiam Elissae uxori piae liberisque gratior est, praesertim cum in ipso Monte Docto latinizare liceat.

*Coepistine iam Latine loqui inter studia?*

Colloquiis Latinis Tubingae me primum imbuierunt Godo Lieberg et Michael ab Albrecht (qui emendatissime et scribit et loquitur). Vindobonae de quaestib; grammaticis Latine scribere cogebamur. Iam antea sponte mea epistulas perarare Latinas et versiculos facere cooperam.

*Quomodo Latinitatis vivae emolumentum invenisti?*

Auxerunt haec studia maxime scholae eae, quas C. Arrius Nurus (vulgo dictus Harry C. Schnur) Tubingae explicabat (vir origine Germanus, natione Americanus, Iudeae fidei addictus, sed liberrimi iudicij). Is enim mira et verborum copia et ardore animi Latine paelegebat animosque audentium ad amorem bonarum artium vocabat. Tunc ego sensi quantum esset in eloquentia Latina, quam nunc quoque Camenae vigere ac florere possent. Eius patrocinium, eius amicitia mihi valde profuit. Cuius uxor vidua, nomine Rhoda dicta, nunc quoque studia nostra benevolentia atque opibus sustentat: nam plurimum subministravit pecuniae ad amplificandos Ludos Latinos Augustanos (3) novumque Iani Novák phonodiscum (4) edendum.

*Quomodo Ianum Novák nosti, quocum Ludos Latinos instituisti?*

Ianum Novák, musicum Moravum, de quo multa legeram, primum vidi Augustae Treverum A.D. 1981, cuius tum "Aesopia" primum publice exhibita sunt. Quid dicam! Summis illecebris me ad se attraxit vir Musarum leporis plenissimus, omnibus bonis studiis perquam expolitus. Numquam hominem neveram (nendum dicam hominem musicum), qui tam bene intellegaret metra numerosque Romanos. Quorum ipsam vim atque indolem modis musicis mirifice expressit et velut revocavit in vitam. Illi ergo, quod facere non solebam, statim amicitiam obtuli, illum omnium studiorum socium cupivi esse. Quot nos tum consilia cepimus! Quantum spei nobis oblatum videbatur! Fefellerunt plurima, nisi quod librum Canticorum Latinorum (5) elucubravimus et Ludos Latinos Elvaci primum una edidimus. Quibus ei



# SCIENTIA LATINE

ΜΗΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

## *De Alcuini propositionibus ad acuendos iuvenes* sive *de lupis et capris et fasciculis cauli*

Auctor vitam et opera Alcuini in superiore Melissae numero adumbravit.

### Propositiones selectae

Nunc tres propositiones dumtaxat fortuito et modo subiectivo selectae explanabuntur. Auctor solutionum singulis propositionibus specialistica mathematicae peritus non fuisse videtur, quia methodi adhibitae saepe insolentes et iudicio mathematicorum monstruosa sunt. Veri simile est Alcuinum auctorem propositionum fuisse, aliquem monachum lignarum solutiones addidisse.

Nullus est discipulus gymnasii, qui nesciat propositionem duodecimam, originem fontemque omnium problematum vecturae, quae vocantur.

“*Propositio de lupo et capra et fasciculo cauli*”

*Homo quidam debebat ultra fluviū transferre lupum et capram et fasciculum cauli, et non potuit aliam navem invenire, nisi quae duos tantum ex ipsis ferre valebat. Praeceptum itaque ei fuerat, ut omnia haec ultra omnino illaesā transferret. Dicat, qui potest, quomodo eos illaesos ultra transferre potuit.*

Solutio.

*Simili namque tenore ducerem prius capram et dimitterem foris lupum et caulim. Tum deinde ventrem lupumque ultra transferrem, lupoque foras missō rursus capram navi receptam ultra reducerem, capraque foras missa caulim trahere ultra, atque iterum remigasse, capramque assumptam ultra duxisse. Sicque faciente facta erit remigatio salubris absque voragine lacerationis.*

Etsi lingua textus est lingua Latina mediae aetatis, problema et eius solutio certe sine difficultate intelleguntur. Lectores attendant clausulam “dicat, qui potest”, qua Alcuinus in fine paene omnium propositionum iuvenes ad solvendum problema invitat.

Propositio vicesima quarta est pensum simplex planimetricum.

“*Propositio de campo triangulo.*

*Est campus triangulus, qui habet in uno latere perticas XXX et in alio perticas XXX et in fronte perticas XVIII. Dicat, qui potest, quot aripennos concludere debet.*

Solutio.

*Iunge duas longitudines istius campi, et sunt LX. Duc medianam de LX, sunt XXX, et quia in fronte perticas XVIII habet, duc medianam de XVIII, sunt VIII. Duc vero*

*novies triginta, sunt CCLXX. Fac exinde bis XII, id est, divide CCLXX per duodecimam, sunt XXII et semis. Atque iterum XXII et semis per duodecimam divide partem: fit aripennus unus et perticae X ac dimidia.”*

“Pertica” et “aripennus” sunt unitates mensurales. Gromatici perticis utebantur, ut longitudinem agri metirentur, auxilio aripennorum areas determinabant. Longitudo unius perticae non nota est (fortasse aequalis est uni Germano “Klafter”). Unus aripennus est area unius quadrati, cuius latus habet duodecim perticas.

De *Formula*, quae in solutione adhibetur, ut area trianguli determinetur, in capitulo proximo huius commentationis disputabitur.

Lectores animos attendant ad terminos technicos mathematicos: *iungere* significat addere, *mediam ducere de numero* significat dividere numerum in partes duas, *ducere novies* significat multiplicare per novem.

Postremo propositio quinquagesima altera affatur, quia non adhaerescit generi problematum ceterarum propositionum.

“*Propositio de homine paterfamilias.*

*Quidam paterfamilias habebat de una domo sua ad alteram domum leugas XXX et habens camelum, qui debebat in tribus subvectionibus ex una domo sua ad alteram de annona ferre modia XC, et in unaquaque leuga isdem camelus comedebat semper modium I. Dicat, qui valet, quot modia residua fuerunt.*

Solutio.

*In prima subvectione portavit camelus modios XXX super leuvas XX et comedit in unaquaque leuva modium unum, id est, modios XX comedit, et remanserunt X. In secunda subvectione similiter deportavit modios XXX, et ex his comedit XX, et remanserunt X. In tertia vero subvectione fecit similiter: deportavit modios XXX, et ex his comedit XX, et remanserunt decem. Sunt vero de his, qui remanserunt, modii XXX et de itinere leuvae X. Quos XXX in quarta subvectione domum detulit, et ex his X in itinere comedit, et remanserunt de tota illa summa modia tantum XX.”*

De significatione historica propositionum in libro Mauriti Cantor (Vorlesungen über Geschichte der Mathematik) et in libro mathematici et historicci D.E. Smith (History of Mathematics) copiose tractatum est.

Textus propositionum selectarum ex libro iam supra memorato sumptus est (culius auctor et editor

Folkerts est). Auctor huius commentationis textum non emendavit (e.g., scribendi ratio duplex "leuga-leuva" servata est).

### Mathesis crapulae plena

Quod ad eas methodos mathematicas attinet, quae in solvendis propositionibus adhibendae sunt, Alcuinus pauca poscit. Qui principiorum logicae gnarus est, qui formulas planimetricas novit, qui aequationes lineares et aequationes indeterminatas solvere calleb, sine dubio eum propositiones delectabunt. Breviter, instrumenta mathematica, quibus Alcuinus utitur, mathematicae Romanae sunt, id est ab Herone, mathematico illustrissimo Graecorum, parente mathematicae Romanae, inventa et ab agrimensoribus et gromaticis Romanis hominibus doctis mediae aetatis tradita.

Tamen has formulas mirabiles ex solutionibus propositionibus adiunctis cognoscere possumus, quas considerantes mathematici nostri temporis facere non possunt, quin subrideant.

*"Datis lateribus émbādum trianguli erit pars quarta summae duorum laterum multiplicata cum tertio latere."*

*"Datis lateribus area quadranguli erit pars quarta laterum duorum oppositorum multiplicata cum reliquis lateribus in unum iunctis."*

*"Area circuli aequalis est areae quadrati, cuius latus aequale est parti quartae peripheriae circuli dati."*

Embadum formulae primae ope acceptum semper maius est quam area trianguli; area formulae alterae ope accepta interdum valorem verum reddit (e.g., si rectangulum consideratur); denique ex formula tertia sequitur numerum Archimedem esse - pro sancte Iuppiter - quattuor.

### Propositio de civitate rotunda

Propositio undetricesima est problema difficultimum:

*"Est civitas rotunda, quae habet in circuitu pedum VIII. Dicat, qui potest, quot domos capere debet, ita ut unaquaque domus habeat in longitudine pedes XXX et in latitudine pedes XX."*

Ut problema facilius solvi possit, cogitatione finigamus civitatem esse similem oppidulo Indorum Americanorum, quod "pueblo" appellatur, ubi domus superne per tecta intrantur. Determinandum est, quot rectangula in area circuli describi possint.

In libro Alcuni dueae solutiones explicantur:

*"In huius civitatis ambitu VIII pedes numerantur, qui sesqualtera proportione dividuntur in IIII DCCC et in III CC. In illis autem longitudine domorum, in istis latitudine versatur. Subtrahe itaque de utraque summa medietatem, et remanent de maiore II CCCC, de minore vero I DC. Hos igitur I DC divide in vicenos et invenies octoagies viginti, rursusque maior summa, id est II CCCC, in XXX partiti octoagies triginta dirumperantur. Duc octoagies LXXX, et fiunt VI CCCC. Tot in huiusmodi civitate domus secundum propositionem supra scriptam construi possunt."*

Ambitus huius civitatis VIII complectitur pedum. Duc ergo quartam de VIII partem, fiunt II. Rursusque duc tertiam de VIII partem, fiunt II DCLXVI. Duc vero

medianam de duobus milibus, fiunt I, atque iterum de duobus milibus DCLXVI medianam assume partem, fiunt I CCCXXXIII. Deinde duc partem trigesimam de I CCCXXXIII, fiunt XXXXIII, rursusque duc partem viagesimam de I, fiunt L. Duc vero quinquagies XXXXIII, fiunt II CC. Deinde duc simul bina milia CC quater, fiunt VIII DCCC. Hoc est summa domorum."

In prima solutione rectangulum consideratur, cuius ambitus aequalis est peripheriae circuli; valor correctus numeri secundum methodum alterius solutionis computati est 8488.

Ut limes inferior huius numeri determinetur, rectangula parallela duobus orthogonalibus radiis circuli ponantur (vide figuram 1).




Figura 1: Partitio areae circuli.

Numeri rectangulorum in singulis versibus quartae partis circuli sitorum secundum formulam (1) computantur:

$$n(k) = \left[ \frac{\sqrt{r^2 - (b \cdot k)^2}}{a} \right] \quad 1 \leq k \leq \left[ \frac{r}{b} \right] \quad (1)$$

(Lege: n ipsius k aequale est maximo integro, qui non maior est quam radix ex r in se minus k per b in se divisa in a).

Numeri n(k) in tabella 1 perscripti sunt.

	10	20	30	40
1	61.	56	45	21
2	63.	61	55	43
3	63.	61	54	41.
4	63.	60.	53.	40
5	63.	60	52.	38
6	63.	59.	51	36
7	63.	58.	50	33.
8	62.	58	49	31
9	62.	57.	47.	28
	62	56.	46	25

Tabella 1: numeri rectangulorum in singulis versibus quartae partis circuli sitorum.

E.g.,  $n(4) = 63$ ,  $n(26) = 50$ ,  $n(42) = 9$ .

Puncta iuxta numeros posita significant in illo versu spatium reliquum maius esse quam dimidium rectanguli, quo numerus rectangulorum uno augeri possit (si semicirculus consideratur).

Itaque limes inferior erit:  $4.2074 + 2.16 = 8328$ .

Verumtamen subtiliores methodi geometriae et theoriae numerorum adhibendae sunt, ut iudicetur, utrum numerus hac ratione determinatus numerus rectangulorum reapse maximus sit.

Carolus Fridericus Gauss, mathematicus illustrissimus Germanorum, cui cognomen "princeps mathematicorum" fuit, problema simillimum perscrutatus est. Ut  $N(r)$ , numerum punctorum clatatorum, quae vocantur, id est numerum coordinatorum integrorum, in area interiore et in margine circuli, cuius radius est  $r$ , determinaret, hanc inaequationem deduxit:

$$\pi(r - \sqrt{2})^2 < N(r) < \pi(r + \sqrt{2})^2.$$

(Vide, e.g., Chandrasekharan, Introduction to Analytic Number Theory).

### Conclusio

Auctor de thesauro nondum effosso pensorum mathematicorum dulcissimorum media aetate collectorum et ab Alcuino Latine editorum rettulit.

Nonnullae propositiones, quae vocantur, problema pervetera sunt, quae in libris mathematicis modernis scholarum usui destinatis non raro reperiuntur, quandoquidem pensa ad oblectandos discipulos inventa a magistris in erudiendis alumnis magni aestimantur.

Praeterea auctor se demonstravisse sperat animos etiam eorum, qui sublimiori mathesi student, perscrutandis propositionibus selectis agitari posse. Imprimis memoratu digna est ea propositio, cui titulus est "propositio de civitate rotunda".

Ex natura propositionum appareat rationem cogitandi mathematicam et appetitionem ludendi humanam non esse res contrarias. Persuasum est auctori huius commentationis - ut iam Ioannes Huizinga in libro, qui inscribitur "homo ludens", contec-

tavit - leges logicas in theorematibus mathematicis et physicis patefactas, quibus omnis scientia humana nititur, proprietates potius praceptorum lusoriorum quam legum naturalium declarare.

Petrus HRANDEK

### Libri exhibiti

- BUCHWALD, W. et alii, *Tusculum-Lexikon griechischer und lateinischer Autoren des Altertums und des Mittelalters*, Ernst Heimeran Verlag, München, 1963.
- CANTOR, M., *Vorlesungen über Geschichte der Mathematik*, vol. I, B.G. Teubner Verlag, Leipzig, 1907.
- CHANDRASEKHARAN, K., *Introduction to Analytic Number Theory*, Springer Verlag, Berlin-Heidelberg-New York, 1968.
- FOLKERTS, M., *Die älteste mathematische Aufgabensammlung in lateinischer Sprache: Die Alkuin zugesschriebenen propositiones ad acuedos iuvenes*, Österreichische Akademie der Wissenschaften, Springer-Verlag, Wien, 1978.
- GELLIUS, A., *Noctes Atticae*, vol. II, recognovit breviisque adnotatione critica instruxit P.K. Marshall, Oxford Classical Texts, Oxford University Press, Oxford, 1968.
- HUIZINGA, J., *Homo ludens, Vom Ursprung der Kultur im Spiel*, Rowohlt Taschenbuch Verlag GmbH, Reinbek bei Hamburg, 1961.
- SMITH, D.E., *History of Mathematics*, vol. I, II, Dover Publications, Inc., New York, 1951.

## *Omnia Latinitatis modernae lexica, in sex linguis edita, nunc sunt in promptu!*



### NOVUM MELISSAE

#### LEXICON MINUS LATINITATIS MODERNAE

Latino-Anglicum  
Anglico-Latinum

Latino-Francogallicum  
Francogallico-Latinum

Latino-Hispanicum  
Hispanico-Latinum

Latino-Italicum  
Italico-Latinum

Latino-Nederlandicum  
Nederlandico-Latinum

Latino-Theodiscum  
Theodisco-Latinum

DOMUS EDITORIA "FUNDATIO MELISSA" - 1988

MANE. DIC, IN ENSICULO, QUID  
NOMEN EST PATERNUM?

DAEMONES!

LOQUERE, MATRIS NOMEN HIC  
QUID IN SECURICULA SIET.

DAEDALIS.

DI ME SERVATUM CUPIUNT.


AT ME PERDITUM.

POST SICILICULA ARGENTEOLA, ET DUAE  
CONEXAE MANICULAE, ET SUCULA, ET BULLA  
AUREA EST, PATER QUAM DEDIT MIHI NA-  
TALI DIE.

EA EST PROFECTO. CONTINERI QUIN  
COMPLECTAR NON QUEO. FILIA MEA, SALVE;  
EGO IS SUM QUI TE PRODUXI PATER. EGO SUM  
DAEMONES, ET MATER TUA ECCAM HIC IN-  
TUS DAEDALIS.

SALVE, MI PATER INSPERATE!

SALVE. UT TE AMPLECTOR  
LIBENS!



EAMUS INTRO OMNES, QUANDO OPERAM PROMISCAM DAMUS. SEQUERE ME, AMPELISCA.

SPECTATORES, VOS QUOQUE AD CENAM VOCEM, NI DATURUS NIHIL SIM NEQUE SIT QUICQUAM POLLUCTI DOMI, NIVE ADEO VOCATOS CREDAM VOS ESSE AD CENAM FORAS.



VERUM SI VOLETIS PLASUM FABULAE HUIC CLARUM DARE, COMISATUM OMNES VENITOTE AD ME AD ANNOS SEDECIM. PLASUM DATE.



# EX ORBE LATINO

## DE SCHOLIS FRISINGENSIBUS

SIVE

## DE QUADAM LATINA STUDIORUM UNIVERSITATE

Universitas quaedam exstat non solum aestiva, sed et Latina: Scholas dico Frisingenses, quae hoc anno mense Iulio (a die 25° ad diem 29<sup>um</sup>) habitae sunt, et, ut speramus, fortasse unoquoque anno habebuntur. Non solum litterae Latinae, sed artes et historia, sed etiam res politicae et scientiae modernae per totam septimanam Latine tratatae sunt. Valahfridus Stroh, archimagister, scholarchas invi- taverat doctissimos qui de his diversissimis rebus cum participibus colloquerentur.

Tali programmate archimagister circiter centum homines allegerat praesertim e Germania oriundos, sed etiam e Belgio, Finnia, Hispania, Iaponia, Italia (unus Italorum ex urbe Mediolano... birota venit!). Ergo haec centuria die 25° m. Iulii Frisingam libentissime convenit.

Solemnitatibus actis, post inaugurationem omnes ad scholas concurrerunt. Viginti scholae offerebantur, quarum quinae singulis horis habebantur, ita ut scholares quattuor sessiones in summa participare possent. Ecce aliquot exempla:

Ianus Beck Monacensis ad scholas computatorias invitavit. Quae scholae praesertim pertinebant ad tirones. Primum fontes, originem historiamque ordinatri enarravit, dein ordinatum ipsum, quomodo adhiberetur, brevi adumbravit. Sed Iano imprimis hoc propositum erat, ut demonstraret ordinatum etiam grammaticis philologisque utilissimum esse. Quod scholares obstupefacti compererunt: et laetissime alii aliis in ordinatri moderamen succedebant, ut textus corrigere mutare, indices componere, tabulas pingere conarentur. (cf. phot.)


Bernardus Teuber Ulmensis, inter scholas etiam mystagogus, nos ad longinquas regiones, mente

quidem, ducere voluit. Itaque, cum non ita pridem celebratus esset quingentesimus annus e quo Columbus Americam attigit, nos in novum mundum statuit asportare. Epistulam legimus quam Columbus ad familiarem quendam regis reginaeque Hispaniae dedit, rogans ut copiae ad nova itinera facienda necessariae sibi praevererentur. Quam Hispanice conscripsit, sed iisdem temporibus in Latinum versa est quo latius diffundi posset.

Gaius Licoppe Bruxellensis de doctrina genetica recenti atque uberrima multa miranda narravit. Cum historiam doctrinae geneticae imprimis adumbraret, res inauditas didicimus: et nunc scimus Carolum Darwin in schola pessime studuisse - praesertim linguae Latinae! -; eum postea, cum medicinae studeret primumque sectionem chirurgicam videret, territum ausugisse ex amphitheatro; illum Darwin tunc temporis comperisse opes familiares satis magnas esse ut numquam ad vitam sustinendam ei laborandum esset; his cogitatis, medicinae studia sine desiderio reliquisse. Multa etiam didicimus de acido desoxyribonucleinico, de codice genetico, de mirabilissimis artis geneticae usibus. (cf. phot.)

Sed etiam licebat epigrammata legere compone-reve cum Nicolao Sallmann, cum Georgio Leonhardt cantare, saltare cum Inga Pessarra, colloquia Attica habere cum Hervicio Görgemanns, de Romanorum veterum operibus mathematicis cum Petro Hrandek colloqui, multas alias diversissimasque res tractare. Etiam pueri puellaeque scholam habuerunt Latinam: nam Petrus Waltner Frisingensis eis fabellas scaenicas proposuit.

Francisca DERAEDT



# DE FERIIS LATINIS PROVINCIALIBUS PRAETERITIS COMPARATIS CUM HUIUS ANNI FERIIS MENSE AUGUSTO EXEUNTE NICAEAE HABITIS

Quae est causa cur feriae Latinae Provinciales semper iucundissimae fuerint? Cum iam ter his feriis adfuerim, hoc explicare conabor expertus.

Suaves sunt, mea sententia, cum simul et feriae, et Latinae, et Provinciales sint. Gratiae sunt igitur agendae et Patri Suitberto qui eas instituit (nimis est dolendum quod propter valetudinem hoc anno adesse non potuit: vota facimus ut semper futurus sit apud nos), et Clementi Desessard, qui omnia optime paravit. Cum opus non sit dicere cur ferias amemus (homines sumus) et qua ratione Latinitati faveamus (hoc patet ex eo ipso, quod legimus Melissam), restat ut dicam cur Provincia nobis gratissima fuerit.

Semper, ut verum dicam, hanc regionem dilexi-  
mus, a tempore quo primum legimus carmina su-  
vissima illorum citharoedorum (*tropadorum*), et in  
ipsa Divina Comoedia nonnullos versus a Dante  
Provinciali lingua exaratos (in Purgatorio, XXVI, vv.  
140-147: "Tan m'abeliss vostre cortes deman/  
qu'ieu no me pueſc ni voill a vos cobrire..."), et Petrarchae  
carmina quae Laurae venustatem et amoenitatem  
locorum et aquarum in Valle Clausa canunt, etiam a  
Stendhal edocti quoad illa "Iudicia de amore" Provin-  
cialia, a mulieribus illustribus habita, ubi de variis  
amoris casibus disputabatur (v. librum qui inscri-  
bitur "De amore"). Omnia igitur iamdiu conspirabant  
ut Provinciam diligeremus.

Attamen, ut amor hic non intellectualis esset, sed  
in pectore flagaret, oportebat Provinciam adire, quod  
primum feci tres annos abhinc, cum adfui feriis  
Olbiensibus, quae dicuntur, in seminario "La Castille"  
nuncupato habitis, prope Hyères ('Ολβία, Graece, ex  
quo feriae dicuntur Olbienses). Appropinquans  
seminario, amore Provinciali ipse incipiebam flagrare,  
una cum silvis igni flagrantibus. Illum odorem resi-  
norum nares et nunc tenent, ut memoria tenet omnes  
amicos "Latinos" quos illic noveram: Clementem,  
quocum primum in vita ausus sum Latine loqui  
(potius balbutire), Patrem Basilium Francogallum,  
Stephanum Mediolanensem, Florianum Francosur-  
tensem, Paulam Florentinam (quae nunc praeest  
Sodalitati Latinae Florentinae), Thomam Finnicum,  
Christinam Romanam, Robertum Monachensem qui  
nobis, Stephano et mihi, inscriptionem cursualem  
Johannis Caroli tradidit, qua ex coniunctione Sodalit-  
tas Latina Mediolanensis orta est (tempus est ut hoc  
publice declarem: gratias tibi, Roberte, qui obstetrix  
quodam modo fuisti nostrae Sodalitati!), et alios quos  
memorare longum est.

Hae feriae tam suaves fuerunt ut omnibus vide-  
rentur dignae quae celebrarentur fabellis nostra cura  
exaratis, quas conscripserunt G. Andrea Bergère,  
Fridericus Geiger, Paula Marongiu, Thomas  
Pekkanen, Umbrula Pederzani, Bernardus Chauvin  
de Villars, Diana Licoppe, Auri Campolonghi, Flori-  
anus Neumann, Stephanus Torelli, Claudius Piga.  
Quas omnes collegi et remisi auctoribus, ut se omnes  
in vicem legere possent.

Anno elapso feriae Provinciales Nicaeae habitae  
sunt: devertebamur in aedibus quibusdam Universi-  
tatis Nicensis, optimae fuerunt. Aderat Pater Suitber-  
tus, cuius eloquentiam et humanitatem statim com-  
perimus ingentes et admirati sumus. Nescio qua de  
causa, simillimus mihi videbatur fratri Cristophoro,  
eius personae quae invenitur in fabula romanensi c.t.  
"De sponsis", ab A. Manzoni exarata, qui virilius non  
dubit, necessitate cogente, insolentes verbis et  
operis castigare. Locus hic non est ut novos amicos  
memorem (at quomodo tui obliisci potero, Fortunate,  
quomodo tui, Monica?).

Hoc anno quoque feriae Latinae Provinciales Ni-  
caeae habitae sunt, iucundissimae et optime paratae,  
ut semper. Aedes (quondam seminarium) splendidae  
erant, spectantes caeruleum mare liquidum, cuius in  
fluctibus suave erat lavari et natare, in litore interdiu  
Solis lumen captare, noctu Lunae (plenilunium erat),  
post sessiones Latinas videlicet. Vix credibile est  
quam multa facta sint unius hebdomadae temporis  
spatio: orationes, liberae sermocinationes, excus-  
iones, scholae cantus Gregoriani, sescenta colloquia  
congressionesque.



De orationibus: duodecim fuerunt, cuiusvis ge-  
neris, stylo sublimi vel demisso, recitatae an ex tem-  
pore habitae, academicae vel cottidiana, audiovisifi-  
cis instrumentis (diapositivis, videotaeziolis) nixa vel  
naturales. Argumenta haec: De urbe Salusiensi (Ida  
Bianchi dixit); De mysterio cosmographico (Cl. Piga);  
Quid de Provincia Strabo et Posidonius scripserint  
(C.E. Cerruti); De pronuntiatu linguae Latinae (O.  
Almes); De imagine Hadriani Imperatoris (D. de  
Lorenzo); De Gnathone parasito (G. Lieberg); De  
multarum linguarum scientibus (J. Daly); Quid cibus  
homini significet (P. Marongiu); Non erit Europa sine  
Latino sermone (Y. Gaubert); Lusus Rabelesianus

(hunc titulum finxi iuxta indolem oratiunculae, ab A. Dobsevage dictae; qui sit titulus verus non memini); De cultu civili Europaeo cum Latinitate coniuncto (R. Fleischmann); De linguis classicis et Provincialibus redivivis (Clemens Desessard et A. Viani).

Quod ad liberas sermocinationes, Robertus Maier optime moderatus est palaestram ad tirones erudendos in Latino sermone colloquiali; non multo post eas institutas, procliviores omnes videbantur - et tirones et ii qui in Latinitate proiecti essent - ad investigationem psychoanalyticam, quam dicitur, publicam: omnes sensim sine sensu omnibus imos animos aperiebant. Amore Latinitatis adiuvante, exitus horum sessionum optimus visus est, qui libere manavit ex ipsis rebus. Qui exitus auctorem fabularum romanensis delectavisset, si adfuisse.

Excursiones fuerunt ad villam Kerylou, ad stationem archaeologicam Cemeneli, ad Turbiam visendas. Villa a Kerylo nuncupata (*κερύλος* idem esse ducebatur ac mas alcionidis: vide Alcmanem poetam) est somnium, at sane consecutum, lignis, lapidibus, lateribus effectum a quodam viro singulari qui

sequitur p. 4



quoque intererant, qui iam antea de Latina lingua viva bene meriti erant, ut P. Caelestis Eichenseer, Gaius Licoppe, Anna Elissa Radke, Fidelis Raedle aliique. Maxime autem nos adiuvit Amor deus, qui tunc ut Ludorum patronus primum vocatus est. Nec proximos Ludos Ianus vidit: praematura morte abreptus me solum destituit. Cui qui par sit, non hercle aut inveni aut inveniam! Musae tamen, ut opinor, etiam Ludis Augustanis et Frisingensibus (6) non parum faverunt.

Estne tibi in animo Ludos praeparare ad Horatii bimillennarium commemorandum?

Recte divinas: est in animo. Vale!

- (1) Die römische Liebeselegie als werbende Dichtung. Amstelodami (Hakkert) 1971.
- (2) Taxis und Taktik: die advokatische Dispositionskunst in Ciceros Gerichtsreden. Stutgardiae (Teubner) 1975.
- (3) Cf. Erotomachiam, carmen scriptum in honorem eorum, qui Ludos Latinos... maximis sumptibus adiuerunt... a Valahfrido, Monachii 1985.
- (4) Jan Novák, Dido - Mimus magicus. Stutgardiae

ineunte saeculo Nicaeae statuit vivere ut in insula Graeca IV saeculo a. Chr. n. Turbia est amoenissimus pagus, cui imminet Tropaeum Augusteum, ex quo nomen dicit, in Alpe Maritima, ad Augusti memoriam consecrandam.

Ut iam mos est in feriis Provincialibus, Stephanus noster scholas cantus Gregoriani (et polyphonici) instituit: post nonnullas exercitationes per totam hebdormadam habitas, coetus cantorum lectissimus et optime edoctus honestavit Missam Dominicam (Latine celebratam) cantibus ex "Missa de Angelis" atque ex "Proprio (quod dicitur in Romano ritu) XXII Dominicæ diei per annum", hymnis, cantu "Magnificat a Taizé".

Restat ut dicam de sescentis colloquiis congressibusque. At quid dicam? Res sunt omnino privatae. Quamquam, nulla est dubitatio quin partes primas suavissimasque egerint omnia quae commotiones humanas et veras amicitias genuerunt, auris videlicet Provincialibus Latinisque spirantibus atque faventibus.

Claudius PIGA

(audite 63413) 1986.

(5) Cantica Latina: ad cantum cum clavibus modis instruxit Jan Novák, Monachii & Turici (Artemis) 1985.

(6) Cf. liberum, qui inscribitur: V. Stroh, Amor in Monte Docto, fabella scaenica, Frisingae (Verlag Frisinga) 1987.

### SCHOLA CANTANS

Chorus VOCUM LATINARUM cantat  
IANO NOVAK compositore moderante et disponente



Insunt:

- Dianae sumus in fide - Catullus 34  
Collis o Heliconii - Catullus 61  
Iam satis terris - Horatius carm. 1,2  
Vulpes et corvus - Phaedrus 1,13  
Veris dulcis in tempore - Carmina Burana 85  
Ludi magister - Martialis 10,62  
Vivamus, mea Lesbia - Catullus 5  
Nox erat - Horatius epod. 15  
Tempus adest floridum - Carmina Burana 142  
Gallia est omnis divisa - C.J. Caesar 1,1  
Gaudeamus igitur - Anonymus  
Nautarum carmen - Anthologia Latina 388  
Integer vitae - Horatius carmen 1,22

Premium: DM 16,-

Filmkunst-Musikverlag GMBH & CO  
Kardinal-Faulhaber-Strasse 15 - 8000 MÜNCHEN 2



## DE LIBERALISMO MODERNO

Actum iam erat de tribus liberalistarum postulatis, libertatem opinionis dico, auctoritatem legis, proprietatem privatam. Et nunc primum agere necesse est de ideis quas exeunte saeculo decimo octavo sequebantur liberalistae quidam, dein de regionibus quibus liberalistae regebant.

Ratione omnia agi et dirigi ideoque ratione humana omnia intellegi posse cum esset liberalistis persuasum, pugnabant pro defendenda ratione. Ratio autem quid esset rogantibus complures praebebantur responsiones:

Immanuelm Kant non ignoramus dixisse vim illuminationis consistere in illo Horatiano (epist. 1,2,40) "sapere aude". At philosophus Regiomontanus celeberrimus nondum ausus erat profiteri nihil esse neque umquam quid fore maius ratione - id quod nonnulli Gallorum philosophi illius saeculi docebant. Quo factum est, ut et rem publicam dirigi ratione opinarentur viri illi, qui "illuminati" appellantur; et si persuadebant hominibus et mundum et homines regi ratione.

Quae opinio maxime publica facta erat in puella illa cui "Rationis Deae" nomen datum erat in altari ponenda, id quod nisi contra ecclesiam (scil. catholicam) non erat factum.

Isti homines non contra religionem, sed contra ecclesiam et ecclesiae catholicae opes potestatem potentiam pugnabant, quoniam liberalistas se praestare cupiebant. Tolerantia enim quamquam nihil esse pulchrius nihilque civibus aptius liberalistae docebant, tamen interdum ipsi tolerantiae obliti contra ecclesiae praecepta ut veterima vel obsoleta certabant. Verum nostris temporibus cum certo sciamus liberalistas quosdam et cum ecclesia sentire velle, tamen concedere cogimur liberalistas nostri saeculi aliquando contra ecclesiae statum bellasse.

Tolerantiam igitur politicam postulabant liberalistae id agentes, ut rei publicae potentia diminueretur vel ut alii verbis utar: libertas individui hominis e rei publicae tolerantia pendet pendetque tolerantia omnium ex uniuscuiusque libertate.

Erant iam decimo nono saeculo liberalistae qui cum socialistis coniungi vellent, erantque alii liberalistae qui nisi cum conservativistis collaborare nolent. Ergo dividebantur liberalistae in duas partes - id quod et hodie videmus...

Erant et liberalistae quidam, quorum oeconomiae

studere maxime interesset: quibus tamen cum socialistis collaborare non licebat, quia libertatem individui hominis semper semperque flagitabant. Ineunte igitur nostro vicesimo saeculo plures in Europa quam tres habemus liberalistarum partes.

Italiae liberalistae unionem effici patriae suae quia cupiebant, et cum Garibaldi militibus collaborabant et per Camillum Cavour fieri sub Victorio Emmanuele rege Italiae unionem sinebant. Qua unione politica perfecta moderatores Italiae usque ad bellum atrocissimum semper erant liberales. Liberalistarum vero hodiernorum parva tantum pars in Italia exstat, tamen mense Septembri anni 1988<sup>1</sup>, "Unio Totius Mundi Liberalis" Pisam convenerat, in urbem in Italia sitam.

In Germanorum Imperio fuit aliquando temporis spatum, quo sex (!) liberalistarum partes minimae essent, quarum et sinistram ut ita dicam et dextram cognovimus partem. Et eadem res in Germaniae Foederatae Re Publica videri potest, quia olim liberalistae cum socialistis, nunc vero cum conservativistis uniti regunt rem publicam.

In Gallia hodierna liberalistae paucissimi inventiuntur, id quod et in Anglorum regionibus. In Austria vero sunt, qui liberales se nominari cupiant, sed sintne liberales appellant, disputandum permultis esse videtur.

Liberalistae in Europa Occidentali quoad numerum et membrorum et eligentium nec multi sunt neque erunt: liberalistae enim permulta postulata pronuntiaverant, quae paene omnia comprehenduntur vocabulo "rei publicae constitutionalis". Atqui cum haec res publica in constitutione posita iam existat, quid aliud postulant liberalistae? Ubiq[ue] terrarum enim Occidentis libertas individui in constitutione definitur, iura hominum quasi naturalia iam dudum sunt proclamata (vide Nationum Unitarum chartam), colloquia politica in consiliis publicis - praesertim aetate televisionis! - iterum atque iterum flunt: quid igitur novi liberalistae in futurum postulabunt?


Guilelmus BLUM Monacensis.

# DE NOVIS LIBRIS

Iosephi FUSCI Itineraria tria. Singapur, Arabia Felix, Dunelmum.

Quis putat scripturam mortuam esse, methodos audivisicas omnia invasisse, telephonum litteris, televisio libris irreparabiliter successisse? Quis putat artem manu scribendi saeculo XV obsoleuisse, cum Iohannes Gutenberg typographiam invenit? Si talis est opinio vestra, deponite hunc errorem. Nam Iosephus Fuscus non fuit monachus saeculo XI; opus suum non conscripsit in quadam bibliotheca mediaevali, sed nostris temporibus. Conscripsitne? Immo delineavit, elegantissimo stilo delineavit narrationem itinerum Singaporensis, Arabi Dunelmensisque, ab a° 1981° ad a° 1985° factorum.

Lector, si quando hunc pulchrum librum in manibus tenes, primum percurrere licet ornatissimas paginas. Sed noli solum ornamenta admirari. Lege: non est tam difficile. Oculi primum attoniti brevi tempore adsuescunt litterarum formae. Placet etiam Iosephi Fusci diarium itinerarium perlegere, cum auctore Arabiam lustrare vel conventum Latinum Dunelmi participare:



"Sedeo in litore maris cuius nomen quidem Rubrum, color autem caeruleus et viridis. Circumvolant aves maritimae, spirat acriter ventus. In alto mari aspicio naves magnas..."



"Hora quinta postmeridiana ultima patet occasio ambulandi per urbem iam amicam Sanaam quasi pro valedicendo..."

Si quis Iosephi Fusci librum legere cupit, ad auctorem scribat: Iosephus BRAUN, Jaegerstrasse, 25 - D-8052 MOOSBURG.

Francisca DERAEDT

## SYMPORIUM LATINITATIS POSTHUMANISTICA (quem librum edidit Prof. Dr Christianus Helfer)

Praeter antiquitatis litteras Latinas paulatim in mediaevales litteras Latinas plus plusque inquiritur et etiam in Latinas litteras "humanisticas", at posteriores litterae Latinae, quae mira quanta multiplicitate pertingunt usque ad saeculum undevicesimum atque etiam vicesimum, magnam partem praetermittuntur et negleguntur, quamvis usque ad tempora nostra lingua Latina fuerit et sit tam sermo litterarius litteratorum hominum quam sermo hominum eruditiorum communicatorius.

In has linguae Latinae condiciones saeculorum recentiorum, quae fuerunt post "humanistas" (qui dicuntur), in biduano quodam symposio Saravipontano anno 1987 diligenter sollerterque inquirebatur, quae acroases luculenter tum factae hoc libro comprehensae continentur.

Agitur autem de Latinis notionibus iuridicis, de recentiore historiographia, de terminologia medica multum aucta, de nomenclatione botanica et zoologica, de nomenclatione musica, de stupendis rebus

mathematicis, de terminologia philosophica item multum ampliata, de Finnorum Latinitate recentiore, denique de verbis, qualia poetae recentiores condiderunt, de rationibus lexicographiae convenienter observandis, ad extremum de rebus notionibusque hodiernis satis Latine reddendis, quae quaestio ad recentissimas quoque res spectat.

His disquisitionibus bibliographicis et lexicographicis et philologicis non pauca elementa Latinitatis recentioris tanguntur et panduntur et perpenduntur. Porro praemittitur prooemium breve Theodiscum et Vice-Praesidentis universitarii consalutatio bilinguis, sed cetera sunt Latine scripta. Fuit autem hoc symposium genere suo primum et singulare, quam ob rem hae acroases feliciter propositae lectu videntur dignissimae.

Qui liber paginarum centum duodesexaginta constat DM 16.

Inscriptio cursualis: SOCIETAS LATINA,  
Universität - FR 6.3, D-6600 Saarbrücken 11.

# MISCELLANEA AD ANTONINUM MEUM COLLECTA

Haec antiquae sapientiae documenta, cum Latinitas nobis ambobus fuisse et prima mutui occursus cognitiaeque causa et commune animorum nostrorum studium et per hos decem matrimonii annos consuetudo opusque nostrum conjuncte perfectum, tibi e terris profecto, mi Antonine, dicare ita volui ut, corporibus nostris dolenter separatis, animae saltem nostraetiamnunc una sentire viderentur: nam nobis ille antiquae doctrinae cultus externum mentis ornamentum vanave eruditio nunquam fuit, sed pars facta erat quaedam animarum nostrarum mutue amantium.

Primum autem documentum, quod referre volui, non Latinum sed Graecum est (Atavos nempe tuos, o mi Sicule in Syracusana regione nate, Graecos fuisse verisimile est!): locum Homericum dico, quo Andromache Hectorem ad pugnam prosectorum amanter alloquitur: *Ἐκτροφάτταρσύμολέσσαιπαττροκαπότιαμήττρηθάδεκασίγηντοςσύδεμοιθάλερδεπαρακοτης*.

Haec enim eadem de te, Antonine, a principio sensi; *Tu mihi pater et mater, tu frater, tu idem mihi vividus coniux*; immo haec etiam sic augenda esse mihi visa sunt de te; nam tu mihi non solum pater et mater sapientes, sed etiam infantulus fovendus; tu mihi non solum frater, sed etiam amicus verus unanimus unicus; tu idem mihi vividus coniux, et maritus et amator simul; vel, ut paucis dicam, tu mihi quidcumque amabile est. Itaque ut Andromache angore premebatur cum Hectoris mortem praemetueret, sic ego, te mortuo, omnino orba sum et deserta.

Alios locos iam Latinos referre volui: etenim per hos recentiores annos, quibus iam gravius aegrotabas dolebasque, ego, cum assiduo mortis tuae angore opprimerer, haec (quae Seneca Lucilio de communis amici obitu scripsit in sexagesima tertia septimi libri epistula) in animo quasi sine intermissione volvebam: *Amicis avide fruamur, qui quandiu contingere hoc possit incertum est. Cogitemus quam saepe illos reliquerimus in aliquam peregrinationem exituri, quam saepe eodem morantes loco non viderimus: intellegemus plus nos temporis in vivis perdidisse.* Quae cum meditarer et domo tamen, ut Lyceum peterem, mihi abeundum esset, tristior etiam siebani et toto itinere currebam quo brevior absentia fieret. Senecae inter alia pro hoc beneficio gratias ago, quod ab Antonino vivo, nisi necessitas esset summa, abire vel ad brevissimum tempus nolui, sed ut aliquis cibos sibi providet, sic ego Antonini praesentiam mihi quasi providere volebam.

Illa antiqua de Antonino in terris mecum convivente plene mea faciebam et sentiebam. Haec mihi eum mortuum lugenti in mentem iam venerunt, alia mea sponte, alia benevolis amicis memorantibus: sunt exempla apud Plinium: non solum Antoninus, ut Corellius Rufus ille de quo in XII<sup>a</sup> primi libri epistula agitur, dolorem *cum senectute ingravescentem viribus animi sustinebat, cum quidem incredibilis cruciatus et indignissima tormenta pateretur*; sed etiam, ut Plinius Rufum, sic ego, etsi Antoninus annum iam LXXXVII<sup>um</sup> impleverat, *tamen tanquam et iuvenis et firmissimi mortem eius doleo* alque similiter hoc sentio: *Amisi enim, amisi vitae meae testem, rectorem, magistrum... Vereor ne neglegentius vivam.*

Alterum Plinianum quoque meditor, quod de Virginio Russo in prima secundi libri epistula scripsit: *... Necessitate tanquam immaturam mortem eius defleam; si tamen fas est aut flere aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita quam vita est. Vivit enim vivetque semper atque etiam latus in memoria hominum et sermone versabitur, postquam ab oculis recessit.* Hoc enim *mortalitatem eius magis finitam quam vita* mihi etiam etiamque dictito ad propriam consolationem atque verum esse sentio dupli significatione: non solum quia quemadmodum Plinius de Russo hoc excogitavit - pro certo habeo Antoninum propugnatorem Latinitatis acerrimum vivere et victurum esse in hominum memoria sermoneque, sed etiam quia quemadmodum nos in Deo credentes sentimus - eum aeterne vivere et mihi locum ad latus suum reservare firme spero. Quae fides christiana mea iam ab antiquioribus Graecis Latinisve praesentiebatur: accurrit mihi in mentem Socrates ille apud Platонem Critonem benigne reprehendens et discipulos monens se non tam fore in corpore suo, sed ad alium mundum avolaturum: accurrit Cyrus Maior apud Xenophontem filios moribundus alloquens et hortans ne arbitrentur se, cum ab eis discesserit, nusquam aut nullum fore; accurrit Cicero noster Graecis illis locis citatis suam fidem addens in eo libro quem de Senectute inscripsit. Quam pulchra, quam recta, quam consolatoria haec verba sunt: *Sic persuasi mihi, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes tantae scientiae, tot inventa, non posse eam naturam quae eas res contineat esse mortalem.* Quae cum ita sint, vere grata sum Andreae Weiss amico, quid ad animam meam relevandam Evangelica Domini verba citata ministro qui *ταλαντα* optima gessit: Εὐδούλε δύαθὲ καὶ ποτέ, εἰσελθε εἰς τὴν χάραν τὸν Κυρίου σου. Haec enim spes mihi est: Dominum talia verba Antonino meo, quem bonum et fidelem et diligentem Eius servum et optimum mihi maritum fuisse ex animo testificor, iam benigne dixisse.

At ego, in terris deserta manens, has duorum Gallorum scriptorum sententias fere similes (quas iam antea mente valde probabam et admirabar, nunc vero toto animo et corde et natura mea consentio cum maximo dolore) assidue, quicquid sola agere conor (sive quid sapidi edo vel bibo, sive quid iucundi lego vel scribo, sive aliud alias agere debeo, sive etiam somno me do) mecum ruminor: alterum Montaigne saeculo XVI<sup>o</sup> de la Boetie amico carissimo immature mortuo scripsit: *Nous étions à moitié de tout: il me semble que je lui dérobe sa part*, quod Latine sic converti potest: *Omnibus rebus aequatis uti solebamus: parlem etus inique occupare mihi videor.* Alterum saeculo XIX<sup>o</sup> scripsit Victo Hugo in carmine *"Booz endormi"* (id est *"Booz dormiens"*) inscripto, cum explanare vellet quid Booz de uxore mortua sentiret: *Et nous sommes encor tout mêlés l'un à l'autre;*

*Elle à demi vivante, et moi mort à demi".*

quod Latine sic converti potest: *Atque etiamnunc omnino commixti permanemus: haec semiviva, semimortuus ego*. Mutatis mutandis sic de te ego, mi Antonine, sentio, me semimortuam tecum semivivo etiamnunc coniungi. Vale ergo! *Nos revidebimus!*

Genovesa IMME.